



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668


Modus LIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

menta, preparabit quidem; sed iustus vestietur illis, & argentum innocens dividet, edificavit sicut tinea domum suam. Benè sicut tinea, quæ domum suam perdit & corrodit, dum præparare videtur: quoque & D. Nazian. annotans orat. 9. ad Julian. Ne ex aliorum egestate opes nostras comparare sustineamus: neque cum aliorum lacrymis misceamus, à quibus tanquam à rubigine tineaque consumentur, Osee 8. In araneorum telas, erit vitulus Samarie, quia ventum seminabunt, & turbinem metent: culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam, quod & si ferent, alieni comedent eam. Mirum est, vitulum in araneorum telis herære posse, sed id Deus facit, dum insolentes, & de alieno pingues, in suis laboribus iniquis, supra quos ut aranæ eviscerantur, capit: ut fructum eorum non percipiant & cum multitudo vanasque spes, tanquam ventos seminaverint, ac turbinem & afflictionem pauperum mesuerint, lucrentur nihil, perdant speratum fructum, opes divitias Insuper.

In prolem dilata ruunt perjuria (& cætera scelera) Patris.

Et pœnam, merito, filius ore bibit. Claud.



MODUS LIV.

PErcepto sensu thematis inquiritur, qui sint sensus hominum vero illi sensui Divino contrarii, aut disparati: aut denique quacunque ratione oppositi. Collectis deinde his sensibus, verba in super aut sententiæ, oppositæ sensui scripturæ, tanquam ab

ab adversantibus prolatae formantur. Inde ad eorum examen, & reputationem quae tota diffunditur oratione descenditur. E. g. Dominica 5. post Pascha. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*, potest procedi sic. Et magna, & certa Christus promittit, nec tamen satis fidem invenit. sunt enim qui voce, & vitam clament. *Non petam & non tentabo. Sunt qui censeant. Petam, impetrabo sed non omnia.* Cum his agam & ex iis vos quid sentire debeat intelligetis. Similiter Dominica Passionis super illud Thema. *Quis ex vobis arguet me de peccato*, quo significatur a nemine posse opera Dei argui, potest procedi sic. Nemo erat apud Iudaeos, qui innocentiae Christi certissime, aliquid obijceret, & inveniuntur apud Christianos qui justitiam DEI exagitant. Quærat enim hodie, quod tum quæsitivus CHRISTUS, & respondebit, CALVINUS. *Ego. Respondebunt Pusillanimes. Ego. Respondebunt, & scandalizati. Ego. Quia scilicet, Calvinus facit DEUM Autorem peccati.* Pusillanimes in eundem rejiciunt, quod ad meliorem frugem non resurgant. Scandalizati, toties inquirunt, quare properatur impius? O monstra audaciae, & sententiarum! stemus contra illa pro Deo, & jam expugnemus &c.

PRAXIS.

Dominica IV. à Paschate.

Vado ad eum qui misit me. Joan. 16.

Accessus & Propositio. Hic est finis omnium, ut ad eum perveniamus, à quo in hanc vitam

T 3

missi

missi atque editi sumus, DEUM: hoc etiam studium debet esse omnium, ut ad eum continuò pergamus, dicamusque omnium voce actionum. *Vado ad eum qui misit*, sed ò quam diversus multorum sermo! sunt, qui, ut in magnis itineribus solet, quiescant; sunt qui ab oriente ad occidentem pergant; sunt, qui exercent & divagentur; atque cum una vox, esse debeat omnium. *Vado ad eum qui misit me*, alius ait, *Abscedo*; alius, *Quiesco*; aliùs, *Divagor*, Audiit has voces D. Aug. Tit. de reditu ad Patriam, & auditis, ad cæterorum cautelam, hæc conclusit. *Via ista nostra, ambulantes quarit. Tria sunt genera hominum, qua odit, Remanentem, Retrocedentem, Aberrantem.* Placet tantisper inhærere sensui, & reclamantium CHRISTO, expendere errores. Ad DEI gloriam.

Confirmatio, à rejecto statu illo triplici,
Recessus, Quietis, Erroris.

Via celi odit retrocedentes, quorum vox Cedo. Nemo scilicet, mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno calorum Luc. 9. unde & horrendum illud, Pauli ad Hebr. 6. Impossibile est, enim, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum celeste, & prolapsi sunt rursus, renovari ad penitentiam, additque quod talium consummatio, sit in combustionem. In principio lapsis venia datur ab omnibus, ob imperitiam; ait os aureum, sed eum, qui post multos cursus, conciderit, nemo dignum venia iudicaverit. 2. Reg. 18. Commisso prælio Absalon profligatus est, ceciderentque 70. Millia exercitus;
qui

qui, cum re desperata cederet, saltum retro superandum habebat, de quo scriptura. *Multò plures erant, quos saltus consumpserat de populo, quàm hi, quos voraverat gladius.* Cum primum homo, viam cælestem, virtutis amore ingreditur, ingentem saltum post se linoquit, periculorum, occasionem, peccatorum, mortis, inferni. Videat ergo quî hanc superare possit, postquam profligatâ constantiâ retrocedit. Dubium interea non est, quod innumeros hic saltus consumat, quem viris religiosioribus D. Bernar. Serm. 63. in Cant. proponens, sic ait *Præsumitur ille saltus, de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinum, de celo in canum.* Nascituro servatore nostro, orbis describitur Luc. 2. *Reddit causam D. Ambros. in caput idem Lucæ. Quando nascitur CHRISTVS omnes profitentur, non enim Augusti, sed Domini est terra.* Quid deinde? patebit cum sanguinem circumcisis infans fuderit, de quo Hugo de S. Victore Serm. 49. *Nova circumcisio, novum nomen, nova hæreditas, novus populus, novus ritus, novus annus.* Hem Christiani, sanguine CHRISTI, hæredes cæli scripti sumus attamen, Jerem. 17. *Recedentes à te, in terra scribentur.* Proficientium, non recedentium, privilegium est, cælis inscribi: illi verò, suis sua nomina in sculpere marmoribus, sive inserât scripturæ, sive affingant imaginibus, recedentes à DEO; ab eodem in terra scribentur: cujus scriptionis, si quem latet mysterium, consulat Autores, quid JESUS scripserit, cum illum scribentem; descripsit. Joan. cap. 8. v. 6. *JESVS autem inclinans se deorsum, scri-*

bebit digito in terra, peccata scilicet, ut multi sentiunt, & damnationem Phariseorum: quibus quisque pro se lectis, non sustinuit vultum CHRISTI, sed unus post unum exhibant.

Via Cæli, odit Remanentes. quorum Vox Quiesco. O miseram hominum cæcitatem! qui aliter iudicant de rebus, quàm sint. Ibi quærimus gaudia, ubi locus lachrymarum, ibi quietem, ubi sedes laborum; Quis hic quiescat? ubi nos, volentes, nolentes, anni nostri auferunt. Nam sicut in navibus Ait Ambr. dormientes aguntur in portus, etsi nullus sensus sit navigandi, ita & nos dum quietem ambimus, sine sensu abripimur. Rursus idem. Surge qui dormis. Tu dormis, & tempus tuum ambulat; & inde, ne dum tu dormis, tempus tuum prætereat; ideo etsi dormis, cor tuum vigilet, ne feriatur. Nemo invita, quietem annorum aut laborum quæsierit; nemo illam invenerit. Cum Constantinus à nomine suo Constantinopolin institueret, limites urbis ipse Imperator, tam latè metiebatur, ut admirans, aulæ Præfectus quæreret. Quousque Domine? Respondit Imperator. Quousque qui ante me præcedit, Chol. in Polit. Hoc sibi Christianus sæpe dicat, his ignaviam, interrogantem, quousque? retundat. Quousq³, qui præcedit, O qui dicit discite à me quia mitis sum & humilis corde Matth. II. Estote perfecti sicut & Pater vester perfectus est, Matt. 5. sequimini. Vadeo ad eum qui misit me Joan. 7. Gen. 17. Vidit Jacob scalam, & in ea Angelos descendentes, atque ascendentes, neminem sedentem, neminem quiescentem. Ego, pietatis exercitationem.

Scala

scala Jacob visa, rectè comparavero. ait Basil. Cap-
pad. in Psal. i. Agendum est, laborandum, DEUS
spectator est, idemque merces. Tum primum qui-
escemus, cum spectatori Deo placuerit. i. Gen. 49.
de Jacobo Patriarcha. *Collegit pedes in lectulum, &*
mortuus est. Non prius collegit, non prius quievit,
quàm mors supervenit, à qua, *A modo jam dicit spi-*
ritus, Apocal. 14. *ut requiescat à laboribus suis,* Ipi-
ritus dicit, non caro, non homo, non tepor, non i-
gnavia, unde & opera Beatorum sequuntur illos,
tanquam collecta & consummata: non se ante fa-
ciem ostentant, tanquam gloriabunda, & agenda.
Quiescentes in via Amalecitæ 1. Reg. 30. percussi
sunt à David, plaga suprema.

Via cæli odit *Errantes* quorum vox, *Evagor.* Hi
sunt qui viam quidem Domini desertam nolunt,
sed multa sibi concedunt, & dum & DEO, & sæcu-
lo vivere volunt, in illud D. August. Confess. 7.
cap. 21. impingunt. *Aliud est de Sylvestri cacumine,*
videre Patriam pacis, & iter ad eam non invenire;
& frustra conari per invia, circum obsidentibus &
insidiantibus, fugitivis, desertoribus, cum Principe
suo leone & dracone: & aliud, tenere, viam illuc du-
centem, cura caelestis Imperatoris munitam, ubi non
latrocinantur, qui caelestem militiam deseruerunt. At
avocat de itinere, commune humani consortii di-
versorium? Nunquam tale quietum, rarò tutum.
At, amicus prope habitat? Nemo amicus, qui cau-
sæ salutis nocet. Sed & Angeli hospitârunt apud
Abraham. Nondum corpus abjecisti, vide ne dixe-
ris. *Risum mihi fecit Dominus sed & Loth, inter*
impios

impios pius? Hic quoque eorum flammis arfisset, nisi miraculo eductus fuisset. Proverb. 21. *Vir qui erravit à via doctrina, in catu Gigantum commorabitur facile de via deflectitur, sed nimis arduum, Gigantum insidiantium, manus evadere, Juravi, inquit, Dominus Psal. 94. In ira mea, si introibunt in requiem meam. Vis causam iræ. Semper hi, errant corde. Non est seria confessio, non vera pœnitentia, ubi facile de via deflectitur. Erratur corde, & Dei ira concitatur. Prov. 26. Dicit piger, leo est in via. Pigri hæc vox, nemini audienda. Neminem hic leo devoravit, qui in via perrexit, sed de eo scriptum Conculcabis leonem & draconem, dummodo pergere audeas: at, est alius leo, 1. Pet. 5. designatus, qui circuit quærens quem devoret: in hujus fauces cadunt, qui de via errant, quemadmodum incidit apud Cantiprat lib. 2. c. 30. qui post confessionem factam, in molitiem ipso die Paschatis revolutus, repente exclamavit. *Vindicta Dei, super me, vindicta Dei super me*, atque in his vocibus expiravit. Surgamus igitur, & Paulum imitemur dicentem, ad Philip. 3. *Sequor autem, si quomodo comprehendam, sicut & comprehensus sum à CHRISTO JESU fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis DEI in CHRISTO JESU.**

MODUS LV.

A comparatione similium, dissimilium, Parium, impa-